



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. IX. De Pontiano & Fabiano Romanis Pontificibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

Hic decemnovenalem circulum Paschæ reperiens, dedit occasionem *Eusebio*; qui de eodem decemnovenali circulo tractatum composuit. *Alexander* regnat xix. annis.

## C A P. VII.

*De persecutione Maximini Cæsaris adversus Christianos.*  
**I**nterea *Alexandro* Imperatore defuncto; *Maximinus Cæsar* succedit. Iste primus ex militari corpore, absque decreto Senatus, Imperator efficitur. Qui, dum odio fertur aduersus prædecessoris sui *Alexandri* domum, & matrem ejus *Mammæam*, pro eo maxime, quod Christiana erat; & *Origenem* presbyterum, quem Romam accitum & honorifice habitum ipsa audierat: qui tunc non solum *Alexandriæ*, sed toto orbe clarus habebatur; Hac, inquam, occasione persecutionem commovet per ecclesias, maxime aduersus Doctores ecclesiarum. *Maximinus* regnat tribus annis.

## C A P. IIX.

*De morte Maximini Cæsaris & successione Gordiani.*  
**S**ed per Dei providentiam in brevi consummatus, simul finem vitæ & persecutionis facit. Post quem imperat *Gordianus*.

## C A P. IX.

*De Pontiano & Fabiano Romanis Pontificibus.*  
**P**ontiano vero Romano Pontifice tunc finem faciente, succedit *Antherus*. Qui cum non amplius quam

mensc.

mense uno ministrasset, sacerdotium reliquit *Fabiano*.  
Hic testimonio Spiritus Sancti in specie columbae su-  
per caput ejus descendente, Episcopus ordinatur;  
quod alii de eo, alii de *Zephyrino* Episcopo, factum fu-  
isse tradunt.

## C A P. X.

*De Africano Scriptore.*

**P**er idem tempus *Africanus* inter Scriptores ecclesia-  
sticos nobilis habetur. Hic multos scribit libros &  
epistolas; inter quos Matthæi & Lucæ, in generatione  
Christi, evidentissime ostendit consonantiam, & Chro-  
nicam ipse componit. *Gordianus* imperat sex annis.

## C A P. XI.

*De Philippo primo Imperatore Christiano.*

**I**nterea *Gordiano* Imperatore finem faciente, *Philip-*  
*puscum* *Philippo* filio suo succedit. Hic primus omni-  
um Imperatorum Christianus fuit. Cui volenti inter-  
esse Vigiliis Paschæ, & communicare mysteriis, resti-  
tit *Fabianus* Papa, nec permisit, donec confiteretur  
peccata sua, & staret inter poenitentes. Hic post ter-  
tium sui imperii annum, cum millesimus à conditio-  
ne Romæ annus esset expletus, magnificis ludis cele-  
brat Vrbis natalem.

## C A P. XII.

*De persecutione Christianorum per Decium Imperatorem,*  
*& de Anthonio monacho.*

**P**ost hunc *Decius* succedit. Hic cum Philippos, pa-